



Universitätsbibliothek Paderborn

Reverendissimi Ac Illustrissimi D.D. Antonii Godeau Episcopi Venciensis Viri Celeberrimi Theologia Moralis

Ex Purissimis Sacrae Scripturae, Patrum Ac Conciliorum Fontibus Derivata,
Notis Theologicis Illustrata, Duasque In Partes Divisa

Complectens Tractatus I. De quarto, quinto, & sexto decalogi Præcepto II.
De septimo decalogi Præcepto. III. De octavo decalogi Præcepto. IV. De
Ecclesiae Præceptis. V. De Sacramentis in genere & quibusdam in specie.
VI. De Pœnitentia. VII. De Matrimonio

Godeau, Antoine

Augustae Vindelicorum, 1774

Sectio III. De Confessione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53587](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53587)

SECTIO III.
DE
CONFESSIONE.

Ex institutione Sacramenti Pœnitentiæ explicata universa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse a Domino integram peccatorum Confessionem, & omnibus post Baptismum lapsis jure divino necessariam existens, quia Dominus noster Jesus Christus e terris ascensurus ad cœlos Sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tamquam præsides & judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christifideles ceciderint, quo pro potestate clavium remissionis, aut retentionis peccatorum sententiam pronuncient. Constat enim Sacerdotes judicium hoc incognita causa exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in penitentibus injungendis servare potuisse, si in genere dimitterent, & non potius in specie, ac sigillatim ipsi peccata declarassent. Ex his colligitur, oportere a pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sunt, & tantum adversus duo ultima Decalogi præcepta commissa, quæ nunquam animum gravius sauciant, & periculosiora sunt iis, quæ in manifesto admittuntur; nam venialia, quibus a gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentius labimur, quam

quam recte & utiliter citraque omnem præsumptionem in Confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt. Verum cum universa mortalia peccata, etiam cogitationis, homines iræ filios, & Dei inimicos reddant, necessum est omnium etiam veniam, cum aperta & verecunda Confessione, a Deo quarere. Itaque dum omnia, quæ memoriæ occurrunt, peccata Christifideles confiteri student, proculdubio omnia divinæ misericordiæ agnoscenda exponunt; qui vero secus faciunt, & scienter aliqua retinent, nihil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt: si enim erubescat ægrotus vulnus Medico detegere, quod ignorat, medicina non curat. Colligitur præterea, etiam eas circumstantias in Confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant: quod sine illis peccata ipsa neque a pœnitentibus integre exponantur, nec iudicibus innotescant, & fieri nequeat, ut de gravitate criminum recte censere possint, & pœnam, quam oportet, pro illis pœnitentibus imponere, unde alienum a ratione est docere, circumstantias has ab hominibus otiosis excogitatas fuisse, aut unam tantum circumstantiam consistendam esse, nempe peccasse in fratrem. Sed & impium est Confessionem, quæ hac ratione fieri præcipitur, impossibilem dicere, aut carnificinam illam conscientiarum appellare; constat enim nihil aliud in Ecclesia a pœnitentibus exigere, quam ut postquam quisque diligentius se excusserit, & conscientie suæ sinus omnes & latebras exploraverit, ea peccata con-

fiteatur, quibus se Dominum & Deum suum
 mortaliter offendisse meminerit: reliqua autem
 peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt,
 in uniuersum eadem Confessione inclusa esse in-
 telliguntur, pro quibus fideliter cum Propheta
 dicimus: *Ab occultis meis munda me Domi-
 ne.* Ipsa uero huiusmodi Confessionis difficultas,
 ac peccati detegendi uerecundia, gravis quidem
 uideri posset, nisi tot tantisque commodis &
 consolationibus leuaretur, quæ omnibus dignis
 ad hoc Sacramentum accedentibus per absolutio-
 nem certissime conferuntur. Cæterum quoad
 modum confitendi secreto apud solum Sacerdo-
 tem, etsi Christus non uetuerit, quin aliquis in
 uindictam suorum scelerum, & sui humiliatio-
 nem, cum ob aliorum exemplum, tum ob Ec-
 clesiæ offensæ ædificationem delicta sua publice
 confiteri possit; non est tamen hoc diuino præ-
 cepto mandatum, nec satis consulte humana ali-
 qua lege præciperetur, ut delicta præsertim se-
 creta publica essent Confessione aperienda. Un-
 de cum a sanctissimis & antiquissimis Patribus,
 magno unanimitate consensu, secreta Confessio
 Sacramentalis, quæ ab initio Ecclesiæ sancta uisa
 est, & modo etiam utitur, fuerit semper com-
 mendata, manifeste refellitur inanis eorum ca-
 lumnia, qui eam a diuino mandata alienam,
 & inventum humanum esse, atque a Patri-
 bus in Concilio Lateranensi congregatis ini-
 tium habuisse, docere non uerentur. Neque
 enim per Lateranense Concilium Ecclesiæ sta-
 tuit, ut Christifideles confiterentur, quod iure
 diuino necessarium & institutum esse intellexe-
 runt,

...m suam
...a autem
...currunt
...esse in
...Propheta
...Domini
...fficultas
...quidem
...odis &
...s digni
...solutio
...quod
...Sacerdoti
...quis in
...nilitatio
...ob Ec
...publice
...no præ
...ana ali
...rim se
...Ur
...atribus
...Confessio
...sæta usq
...er com
...um ca
...ienam
...Patri
...tis ini
...Nequ
...sua sta
...od iure
...tellexe
...runt,

...runt, sed ut præceptum Confessionis saltem se
...mul in anno ab omnibus & singulis, cum ad an
...nos discretionis pervenissent, impleretur; unde
...tam in universa Ecclesia cum ingenti animarum
...fidelium fructu observatur mos ille salutaris confi
...tendi sacro illo, & maxime acceptabili tempore
...Quadragesimæ: quem morem hæc sancta Synodus
...maxime probat, & amplectitur tamquam pium
...& maxime retinendum (Trid. Sess. 14. cap. 5.).
Sit Reflexionum

CAPUT I.

*Nonnullæ laxæ circa Confessionem recen
sentur sententiæ.*

Ex Tridentini Concilii textu facile falsitas, &
absurditas dignoscitur opinionum quorum
dam Casuistarum, qui Spiritus sancti oracula
evertunt, & Confessionis pessumdant integri
tatem.

Ait Casuista quidam, si quis ex ignorantia
aut bona fide confuse peccata sua est confessus,
nec ullum in particulari manifestavit, non oportere,
ut horum enumeratio ab illius ore quaeratur,
quando commode fieri nequit, cum nempe
magnus pœnitentium numerus Confessarium
premit.

Alius sic pariter docet, si quis admodum
rudis peccata sua tantum in genere confiteatur,
posse Confessarium peccata post ultimam confes
sionem a pœnitente commissa solum inquirere,
& anteaetæ vitæ generalem & imperfectam cog
nitio-

nitionem sufficere, præsertim quando multi
pœnitentes sunt audiendi.

Addit alius, si pœnitens ex ignorantia pec-
catum de se mortale tanquam veniale confite-
tur, & hoc peccatum ex eadem ignorantia Con-
fessarius veniale tantum existimet, non teneri
pœnitentem hoc peccatum iterum confiteri,
etiãsi veram ejusdem peccati naturam postea
cognoscat; quia, inquit hic Auctor, non est
necesse, ut Confessarius peccati qualitatem sciat,
utrum veniale sit, an mortale.

Tradit idem Auctor, si pœnitens post dili-
gentius examen nova peccata detegat, non te-
neri ipsum hæc confiteri; nec teneri eadem scri-
bere, ut suæ memoriæ infirmitati succurrat.

Docet alius Casuista, si pœnitens absque
præparatione & examine ad Confessarium acce-
dens aliqua peccata in confessione omittat, val-
dam nihilominus esse confessionem, nec teneri
pœnitentem peccata omissa confiteri. Patetur
quidem oppositam sententiam esse ratiorem;
suam tamen vanis pluribus rationibus stabilire
conatur. Ait enim fecus plures Confessiones
esse damnandas; quasi malum id non esset,
quod frequenter contingit; & quasi posset Con-
fessarius suo muneri deesse, ut onus, quod in
suis confitendis peccatis pœnitens debet subire,
minueret.

Quoad circumstantias, quæ peccatum aggra-
vant, vel ejusdem speciem mutant, iidem Ca-
suistæ docent, has non semper esse necessario
aperiendas.

Quoad illas circumstantias, quæ peccatum notabiliter aggravant, quidam Vasquii opinionem contra Suarez secuti ajunt, non esse necessario confitendas; docet enim Vasquius Confessionis præceptum obligare solum ad peccata omnia mortalia confitenda, quod fieri potest, quin circumstantiæ aperiantur.

Casuiſta quidam ait, quamvis probabile valde sit circumstantias aggravantes esse declarandas, quia judicium Confessarii circa peccati gravitatem notabiliter mutant; tamen probabile adhuc esse, hoc onus non esse necessario imponendum. Addit non teneri blasphemum blasphemiam suam naturam declarare, sed sufficere si dicat quoties blasphemavit; nec necesse explicare, an in Deum, an in B. Virginem, an contra Sanctos blasphemaverit; sicut nec blasphemandi consuetudinem, quantumvis longam, esse necessario declarandam.

Alius scribit, illum, qui præteritorum peccatorum, quæ jam confessus est, memoria delectatur, non teneri hæc peccata declarare, sed sufficere, si dicat, se veterum peccatorum memoria delectatum. Item illum, qui obscenas admittit cogitationes, iisque delectatur, non teneri explicare, utrum harum cogitationum objectum fuerit mulier maritata, an religiosa, & factis esse, si dicat, se contra castitatem peccasse. Item illum, qui incestum commisit, non teneri consanguinitatis gradum explicare, utrum cum matre sua peccaverit, an cum consobrina; neque meretricem teneri declarare, utrum cum Sacerdote

dote peccaverit, vel cum Monacho professore neque Prælatum, aut monasterii Præpositum, qui contra castitatem peccavit, teneri monasteris sui, aut dignitatis mentionem facere.

Docet alius, si Presbyter dum sacramentum Eucharistiam defert, alterum calumnia, aut seculari verbo lædat, vel rem alienam furto furripiat, aggravantem hanc circumstantiam non esse necessario declarandam.

Alius asserit, non teneri pœnitentem peccandi consuetudinem, & frequentem in idem peccatum relapsum declarare; & sententiam, quæ docet hujusmodi pœnitentes absolvi posse, rationi magis consentaneam videri, & pœnitenti magis faventem. Item non teneri Confessarium pœnitentem interrogare circa peccandi consuetudinem, nisi gravis interrogandi ratio adfit, quæ raro occurrit. Item non posse Confessarium pœnitenti absolutionem negare, quando hunc novit peccandi habere consuetudinem; sed debere eundem absolvere, si de peccatis commissis doleat, & se emendaturum proponat.

Denique alius docet, non esse grave peccatum in Confessione mentiri, quando Confessarius pœnitentem interrogat; & si de veniali agatur peccato, mendacium esse tantum veniale; item necesse non esse, ut Confessio integra sit quoad peccata alias confessa. Addit pœnitentem confiteri posse sola venialia, aut aliqua solum ex mortalibus; neque huic Confessione quamvis truncæ & imperfectæ necessariam deesse integritatem, quæ ea solum peccata confiteri exigit, quorum

manifestatio Sacerdoti fieri potest, non autem ea, quorum celandorum aliqua adest ratio.

Hujusmodi errores omnes, alique plures quos prætereo, peculiari non indigent confutatione; cum Concilii lex, quæ Confessionis integritatem præcipit, illos perspicue fatis condemnet.

CAPUT II.

Confessionis notio, necessitas, materia, & modus.

Rejctis Casuistarum laxitatibus jam juxta quod nobiscum sanior Doctorum pars de Confessione sentit, breviter oportet exponere. Est igitur sacramentalis confessio externa, humilis, ac sincera sui accusatio de peccatis propriis, facta coram Sacerdote tamquam Judice, ad eorum remissionem virtute clavium obtinendam. 1. *Externalis* debet esse confessio, videlicet ore, ac verbis peragi, quia non soli Deo, qui corda scrutatur, sed Dei loco homini, qui externa considerat, est facienda. 2. *Humilis*; quia superbis Deus resistit, nec eis largitur veniam. Istam confessionis notam aut ignorant, aut parum considerant, qui magno habitus, & animi fastu ad Confessionale veniunt, qui vanis phrasibus sua peccata enarrant, qui judicium suum Confessarii judicio renuunt subicere, easque pœnitentias, quas ille imposuit, detrectant acceptare. 3. *Sincera* absque fuce, & dolo; tum quia invisibilis Judex Deus non fallitur; tum quia hæc delictorum

rum

rum Confessio non odiosa, sed favorabilis est, nec illi, qui sincere confitetur, ruinam, sed salutem affert (a). Ad hanc Confessionis notam illi bene advertant, qui nescio quas excusationes proferunt, ut sua errata minuant; qui frequenter alios magis, quam se ipsos accusant (b).

Confessionem omnibus post Baptismum in graviora lapsis Jure divino esse præceptam perspicuis verbis Synodus Tridentina docet; utque Novatorum qui præceptum hoc ceu mere humanum, ac recens introductum fugillant, confundatur temeritas, sancti Cypriani, qui sæculo tertio scripsit, adhuc addam de Confessione testimonium, sic autem ait: *Consteantur singuli, quæso vos, Fratres dilectissimi, delictum suum, dum adhuc qui deliquit in sæculo est, dum admitti ejus Confessio potest, dum satisfacta, & remissio facta per Sacerdotes apud Deum grata est (Lib. de lapsis c. 12.)*.

(a) Quas hic in Compendio Auctor exposuit, alii distincte magis recensent Confessionis notas, sequenti inclusas metro:

*Sit simplex, humilis Confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, & discreta, lubens,
verecunda,
Integra, secreta, & lacrymabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, & sit parere parata.*

(b) Huic malo lepidum, satisque proficuum pharmacum quidam Confessarius præbuit, qui mulieri, postquam sæpius monita absque necessitate gravia mariti peccata suæ Confessioni immiscere non destitit, finita aliquando Confessione duplicem poeni-

Confessionis notio, necessitas &c. 449

De Tempore, quo hoc divinum præceptum peccatorem obliget, non omnes conveniunt. Hominem, qui in grave peccatum se lapsus novit, prima statim opportuna confitendi occasione ad confessionem obligari cum quibusdam sanctus Bonaventura tenet (*Cin 4. Dist. 17. Q. 2. art. 2.*); absque novo peccato per aliquod tempus, imo usque ad Pascha posse confessionem differri cum pluribus sanctus Thomas docet. *Differre* (inquit sanctus Doctor *Quodlibet. 1. art. 11.*) *Confessionem per se loquendo licitum est: sed per accidens potest fieri illicitum, puta, si immineat aliquis articulus, in quo Confessio requiratur.* Articuli, qui Confessionem exigunt, juxta communem sunt 1. periculum vitæ ex longo itinere, navigatione, prælio, morbo &c. proveniens, 2. alterius Sacramenti, quod statum gratiæ prærequirit, susceptio, 3. tentationis, vix aliter superandæ, exterminium. Cum igitur raro admodum omnes isti articuli longo tempore soleant abesse, raro, aut nunquam procrastinanda confessio est.

Materia Confessionis duplex ex Tridentini Concilii doctrina deducitur, una *necessaria*, omnia

penitentiam imposuit, mitiorem unam, rigidior alteram, simulque subjunxit: Prior penitentia tua concernit peccata: posterior gravibus mariti est proportionata delictis, quæ sicut loco ejus hucusque es confessâ, ita loco ejus pro illis satisfacias. Plura de hoc dum de complice.

Godæu Theol. Mor. Pars II.

FF

nia videlicet peccata mortalia tam quoad speciem
& numerum: alia *libera*, nempe peccata venia-
lia, & mortalia jam semel confessa, si nempe
hæc novo rursus retractentur dolore. Sed quid
de peccatis dubiis est tenendum? Suntne hæc
libera, aut necessaria Confessionis materia?
Omnes melioris notæ Casuistæ illa ad materiam
necessariam reducunt. Unde, qui peccatum
commisit, de quo dubitat, sitne veniale aut
mortale, illud tamquam dubium confiteri tene-
tur, idque a fortiori dicendum de illo, qui de
peccato commisso est certus, solumque utrum
illud rite confessus fuerit, adhuc dubitat. Ratio
ex Judicii hujus natura petitur, quod non odiosum,
sed admodum favorabile est, ad ipsius
Rei salutem a Christo institutum (a).

Modus Confessionis præter eam, quæ antea
diximus, adhuc nonnulla alia, vocalem nimirum

(a) Licet peccata dubia confiteri teneamur, non
tamen se solis sufficientem semper pro absolutio-
ne materiam præbent. Nam triplici sensu pec-
catum *dubium* dici potest. 1. Si sum certus, me
grave peccatum admisisse, dubito tamen an illud
jam rite sim confessus. 2. Si scio me peccasse,
adhuc tamen dubito an graviter, anve leviter
deliquerim. 3. Si scio aliquam actionem esse
graviter peccaminosam, attamen fundate dubito,
utrum illam revera admiserim. Peccata primo
& secundo sensu dubia semper sunt sufficientes
materia Confessionis, secus vero illa tertio sensu
dubia; hæc enim esse possunt, & sæpe sunt venia-
lia omnino peccata: unde nisi aliquid saltem veni-
nale certum, alias jam confessum, iisdem ab-
datur, tuto ac licite nequit proferri absolutio.

ad speciem suorum peccatorum expositionem præsentem coram Sacerdote factam, & humilem ab eodem absolutio- nis exigit petitionem. *Ex institutione Ecclesie* (ait sanctus Thomas *Quodlibet. I. Q. 6. art. 10.*) *tenetur homo, qui potest, ut verbo confiteatur, non solum propter hoc, ut ore confitens magis erubescat, & quia ore peccavit, ore purgetur; sed etiam quia semper in omnibus Sacramento accipitur id, cujus est communior usus.* Peccaret proinde nãdum pœnitens, qui ob solam erubescentiam Confessario scriptam mitteret confessionem, sed & Confessarius, qui ex hac causa eandem acceptaret. Quodsi hic non solum absentis Confessionem legeret, sed & absentis absolutio- nem significaret, invalida hujusmodi absolutio foret, prout ex Clementis VIII. declaratione, & ipsa sacramentalis judicii notio- ne erui facile potest (a).

Verbis

(a) Decretum Clementis VIII. ita habet: „ Die 22. Mensis Junii anno a nativitate Domini N. J. C. 1602. . . proposita quæstione; utrum liceat per litteras seu internuncium Confessario absentis peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutio- nem obtinere? Sanctissimus . . . hanc propositionem, scilicet licere per litteras seu internuncium Confessario absentis peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutio- nem obtinere, ad minus falsam, temerariam, & scandalosam, damnavit, ac prohibuit“. Suarez equidem cum nonnullis aliis hanc prohibitionem non copulative, sed solum disjunctive intelligendam esse docuit; adeoque adhuc hodie absentis Confessario licite posse Confessionem transmitti, non

Verbis perspicuis, ac iis, quibus homines communius, & expressius suos conceptus significare consueverunt, in Confessione uti conveniunt nec voces, aut sensus sunt intorquendi, quos Confessor non intelligit. Sed quid, si linguam Confessarii pœnitens non calleret, suamne hinc Confessionem mediante interprete facere obstringeretur. Divisos hic Doctores invenio. Nonnulli in solo mortis periculo hanc obligationem fringere autumant, tuncque vel solum veniale, vel unicum mortale, specialiter non infamans,

tamen ab eodem absente absolutionem obtinent. Ast hanc interpretationem nœdum Clemens VIII. sed & Paulus V. reprobavit, & dato die 14. Julii an. 1605. Decreto, eandem ex ejus libris expungi jussit. A sacra quoque Congregatione istam interpretationem prohibitam fuisse de Lugo testatur (*Disput. 17. num. 64.*). Unicus Belarmino teste a summo Pontifice exceptus fuit casus, quo moribundus qui absente adhuc Confessario confiteri, & absolvi petiit, ab adventante Sacerdote potest absolvi. Hæc dum attentè perpendo, mirari satis non possum contrariam quorundam praxim & doctrinam. „ Nil audiunt libentius (ait Vir apostolicus N. „ *Cap. 2. art. 2. §. 1. num. 2.*) quam si doceatur, „ quod scribere possint Confessionem, tibi que „ legendam tradere. Venient, postquam legeris, „ & dicent: *Accuso me de his, quæ scripsi.* Ita „ erit Confessio vocalis, quod praxis exigit, „ nec adeo difficilis, quia littera non erubescit. Concilia, Patres, S. Thomas salutarem erubescantiam ex humili peccatorum Confessione ortam in vero pœnitente exigunt; & Vir hic apostolicus eandem non modo extenuat, sed quantum potest in litteram & chartam transfert.

expressimendum esse ajunt; alii omnia, quæ conscientiam premunt, mortalia aperienda esse docent; cum inde sequens infamia, æternæ salutis præmio abunde compensetur. Alii ad alios quoque casus, quibus confiteri tenemur, hanc obligationem extendunt, quibus sanctus Thomas faveret, qui (in 4. Sen. dist. 17. Q. 3. art. 4. Q. 3.) hæc scribit: *In eo, qui usum linguæ non habet, sicut mutus, vel qui est alterius linguæ, sufficit, quod per scripturam, aut nutum, aut interpretem constiteatur . . . quia quando non possumus uno modo, debemus secundum quod possumus confiteri.* Nec ullus, ut reor, de hoc monitus multum repugnabit, si Deum, suæque animæ salutem quærat, simulque quam arduus ac difficilis perfectæ contritionis sit actus, seria revolvat mente.

CAPUT III.

Quenam ad Confessionis integritatem requirantur.

Integritas duplex materialis nempe & formalis spectari in Confessione potest. *Materialis* habetur, dum de omnibus omnino gravibus peccatis, quæ post Baptismum commisit, atque necdum est confessus, secundum speciem, numerum, aliasque circumstantias pœnitens se accusat. *Formalis* datur, cum ea solum peccata, quæ post diligens examen memoriæ occurrerunt, coram Sacerdote exponuntur, utut mortale unum aut alterum, invincibili ignorantia, aut oblivio-

ne omittatur. Hæcque sufficit, licet ad illam priorem niti pro viribus teneamur.

Ut autem integritatem saltem formalem Confessio habeat; eam in conscientia discussione diligentiam adhibere pœnitens tenetur, qualem in aliis magni momenti negotiis adhibere solet, licet tamen ab illo petere, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

Peracto rigoroso examine absque furo aperienda sunt 1. Omnia peccata mortalia, ab ultima confessionis die commissa, tam quoad speciem, quam quoad numerum, quantum fieri potest. 2. Peccata mortalia non solum certa, sed & dubia. 3. Peccata mortalia in ultima confessione invincibili ex ignorantia omissa (a). 4. Peccatorum circumstantia, nœdum quæ speciem mutant, sed & quæ intra eandem speciem notabiliter malitiam augent. 5. Peccandi habitus, malæ consuetudines, ac proximæ occasiones, saltem si confessarii consilium sit necessarium, aut hic expresse de illis inquirat (b). Ratio horum ex Tridentino Concilio petitur; quia nempe sine istorum expressione fieri nequit, ut confessarii qua iudices de gravitate criminum recte

(a) Opinionem contrariam in sequente propositione Alexander VII. damnavit: *Peccata in confessione omissa, seu oblita ob instans vitæ periculum aut aliam ob causam non tenemur in sequenti confessione exprimere.* Est num. II.

(b) Thesis contrariam: *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem,* una cum aliis Innocentius XI. prohibuit. Num. 58.

ad illam confere possint, & pœnam, quam oportet, pro illis imponere (a).

Ut peccati complex, seu socius exprimat, confessionis sæpe integritas exigit; quia novam multoties turpitudinem, ac gravitatem malo actui addit. Et licet talis, cui complex sit ignotus, regulariter adiri Confessarius debeat, ubi tamen id fieri nequit, simulque confessionis præceptum urget, præsentis Confessario complicitas

(a) Triplicis generis malitiam actui adjicere circumstantiæ possunt 1. Quæ speciem mutat. 2. Quæ intra eandem speciem novo peccato mortali æquivalet. 3. Quæ peccati venialis limites non excedit. De circumstantiis, quæ venialem solum malitiam addunt, S. Thomas loquitur, dum eas non de necessitate confitendas docet (in 4. Sent. dist. 16. q. 9. a. 2.). Id clare ex ea, quam subjungit, ratione colligitur, ita enim pergit: *Cujus ratio est; quod venialia non sunt de necessitate confessionis, sed solum mortalia, quæ quantitatem infinitam quodammodo habent; & quia circumstantiæ, quæ aliam speciem peccato non tribuunt, vel quæ tribuunt quidem, sed non mortalis peccati, non sunt de necessitate confessionis. Ita tamen eandem confiteri perfectionis est, sicut & de venialibus est dictum.* Gradum affinitatis, aut consanguinitatis ab incestuoso in confessione exponendum esse idem S. Doctor (Opusc. 12. q. 6.) docet. His similia pluribus locis sua in summa habet (1. 2. q. 73. a. 9. & 2. 2. q. 61. a. 2. & 4.). Si autem aliquas aggravantes circumstantias in confessione exprimendas S. Doctor admittit, cur aliquas excipiat, jam non apparet, cum eadem pro omnibus ratio pugnet.

litas est aperienda, nec solius infamiae timor excusat. Quodsi tamen sigilli violatio, aut aliud grave malum complici eventurum ex illius manifestatione poenitens timeret, illius celare qualitatem posset. Ratio prioris; quia complexus bere peccato consentiens jus perdidit ad famam pro foro interno servandam. Ratio posterioris quia cum tanto incommodo quis nec se ipsum coram tali confessario tenetur accusare, ut sitim dicemus: ergo multo minus propalare alium (a).

(a) Si poenitens ex simplicitate forte complicem nominet, non peccat; monendus tamen est, ut ab hoc imposterum absteineat. At si Confessarius in nomen, domum &c. complicitis inquirat, graviter peccat; quia curiosa hac quaestione poenitentem ad infamandum proximum inducit, ac grave nonnumquam eidem scandalum praebet. Quodsi tenaciter adeo suae quaestioni insistat, ut complicem nominare &c. renuenti absolutionem denegat, gravius adhuc injustitiae peccatum superaddit, & juxta Benedicti XIV. Decretum ad Inquisitionem, vel officium esset deferendus, nisi forte & Confessarium simplicitas excuset. Neque zelosa, quam aliqui praetendunt, complicem monendi, ac convertendi intentio jus Confessario tribuit in complicem indagandi; dum enim Titii confessionem excipit, hujus praecise, non Titiae complicitis salutem immediate curare tenetur, sed ad summum mediate, injungendo nempe Titio, ut salutaria monita, ac remedia, ipsi suggesta, etiam Titiae compliciti insinuet, utque apud eundem, vel alium peritum Confessarium fere contrita confiteatur, precibus oportunis ac importunis instet. Hacque methodo & poenitentis, & com-

Præceptum de confessionis integritate positivis accensetur legibus, quæ in arduis quibusdam casibus non obligant, dum nempe physica, aut moralis impotentia intervenit. Hinc a confessionis integritate excusantur 1. Muti, omnino surdi, terræ linguam non callentes, nec ullum, qui interpretem agat, habentes &c. 2. Præsentis naufragio, prælio, aut alteri mortis periculo expositi. 3. Fundate ac prudenter a Confessario, qui in præsentis necessitate haberi potuit, sigilli violationem aut aliud grave malum sibi rimentes. 4. Morbo pestifero laborantes, qui in distantia audiri nequeunt, vel propter eos, qui in eodem cubiculo jacent, infirmos, vel propter vocis ac virium debilitatem. Hisce ac similibus in casibus sufficit, si unum, aut alterum grave peccatum exprimat, aut omnino generica sui accusatio fiat, eo tamen proposito, ut quæ hic commissa sunt, peccata, quamprimum potuerint, distincte, ac sincere exponantur (a).

Qui

complicis salutem, quantum potuit, Confessarius providit. De hac re duplicem Constitutionem Benedictus XIV. promulgavit. Una, quæ incipit *Supra omnium* exstat in Vol. 1. Bullarii pag. 535. altera, cujus initium *Ubi primum* habetur Vol. 2. pag. 54. ubi videri possunt.

(*) Inter causas a confessionis integritate excusantes nonnulli magnum poenitentium concursum posterunt; at quam male, ex sequenti, quam num. 59. Innocentius XI. damnavit, propositione cernitur, quæ ita habet: *Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos ratione magni concursus poenitentium, quæ v. g. potest contingere in die magnæ alicujus Festivitatis, vel Indulgentiæ,*

Qui grave peccatum voluntarie vel ex veracundia, vel quovis alio motivo insufficiente omisit, invalide est confessus, unde quæ tunc exposuit, delicta rursus alia in confessione exponere renetur, atque de sua fictione dolere. Quod si decies interea esset confessus, & quinquies solum de omisso aliquando peccato memoriam habuisset, quinque tantum confessiones necessario repetendæ forent; licet ad sedandam citius conscientiam omnium interim peractarum confessionum ex consilio Prudentum sæpe fiat repetitio.

Præter hanc, quam modo assignavimus, adhuc aliis ex causis antea actæ repeti confessiones debent. Causa præcipuæ sunt 1. Defectus dispositionis debitæ, puta contritionis, proposito, examinis &c. 2. Ignorantia etiam invincibilis Mysteriorum necessitate mediæ credendorum (*part. I. pag. 240.*). Incapacitas absolutionis ex censuris orta, a quibus pœnitens necdum erat absolutus. 4. Defectus jurisdictionis in ministro vel absolutus respectu omnium, vel respectivus, respectu quorundam peccatorum, quæ sibi specialiter Papa, vel Episcopus reservavit. De hoc postea plura.

